



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1351 usque ad annum 1414

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1768

VD18 90118278

§. 54. Constantia eligitur ad concilium.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66293](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66293)

Sæcul. XV. A. C. 1413. eam per suos, Romanosque pro viribus defendendam curabat. At isti Papam oderant ob graves ipsius exactiones: & multi colludebant cum Ladislao. Sic Roma tam male custodiebatur, ut Regis copię 8 Junii noctu eam intrarent per editam muri ruinam. Papa cum plerisque Cardinalibus primo mane properam capessens fugam Curiam sequentem habuit. Postquam in locis variis substitute- rat, Florentiam profectus ibi manebat usque ad initium Novembris. Hęc civitas tum scissa erat magnas in factiones: altera Papę, Ladislao altera favebat: itaque illi extra urbem quędam Episcopi domus, quam incoleret, assignata, Curia tamen ejus intro admissa fuit.

Leonard.

Ariz. p. 257.

§. LIV.

Constantia eligitur ad concilium.

Rex Ladislaus non tantum Romam, verum etiam cunctas urbes reliquas usque ad terras Senarum, ac Florentię occupaverat. Idcirco Papa Joannes resistendo viribus ejus impar se convertit ad Imperatorem Sigismundum: & postquam cum eo per epistolas egerat, duos eidem Cardinales misit ad constituendum locum, tempus, modumque congregandi concilii generalis. Hoc enim unicum Ec-
clesias

clesiæ malis remedium restare probe cer- **Sæcul. XV.**
 nebant Papa, & Imperator. Ille suam **A. C. 1413.**
 mentem aperuerat Leonardo Aretino suo
 a secretis ministro, qui rem ita enarrat:

Omnia pendent, aiebat, a loco concii: nec volo ibi esse, ubi fortior sit Imperator. Igitur Legatis meis decentiæ causa potestatem dabo amplissimam, quam exhibere queant: sed per mandatum secretum eam ad certa adstringam loca. Hæc mihi enumerabat. Multis diebus hoc in proposito perstiterat; cum advenit tempus mittendi Legatos. Tum remotis arbitris præter me omnibus diu cum Legatis loquens eos hortabatur, ut bene fungerentur officio suo, cujus momentum eis commonstrabat, prudentiam ipsorum, fidemque laudans. Dein addebat: Statueram vobis nominare quædam loca, extra quæ nullum probaretis. Sed hoc puncto temporis muto consilium, ac vestræ sapientiæ rem totam permitto. Concerpebat simul coram eis papyrus, in qua scripta erant loca; nec iisdem nominavit aliquem. Illi ad Sigismundum delati subjectam ei urbem Constantiam delegerunt: quod edoctum Papam incredibilis incessit dolor. Hæc Leonardus Aretinus.